

QV. 243³⁶

MEMORIAM
REVERENDISSIMI DOMINI
D. MARTINI
GEIERI,

Zb
2913

X 204 4831

VIRI PER ORBEM CELEBERRIMI,
THEOLOGICI MODIS OMNIBUS INCOMPARABILIS
LITERARUMQUE SACRARUM
HEROIS MAXIMI;

120.

QUEM
GLORIOSISSIMUS ARCHIPRINCEPS ELECTOR
JOHANNES GEORGIUS SECUNDUS

IN DELICIIIS HABUIT UNICE,
QUEM CONCIONATOREM AULÆ SUÆ SUPREMUM
ESSE VOLUIT, CONFSSIONIBUS SUIS ADHIBUIT,
CONSILIARIIS ECCLESIASTICIS ADSCRIPIT, ET DENIQUE
AD ÆTERNAM SECUM DUXIT FELICITATEM;

ORATIONE PUBLICA
IN THEOLOGORUM AUDITORIO
SOLENNITER CELEBRAVIT
JO. FRIDERICUS SCHARFIUS, D.

AD QVODVIS MOMENTUM TERRITUS ADSTO,
TALIA, CUM VIDEAM SIDERA POSSE MORI.

WITTEBERGÆ
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYPOGR.
A. E. C. ∞ MDC LXXXII.



MEMORIAM
REVERENDISSIMI DOMINI
D. M. A. R. T. I. N. I.
G. E. I. E. R. I. I.

VIRI PER ORBEM CELEBRIS
THEOLOGICI MODIS OMNIBUS INCOMPARABILIS
LITTERARUMQUE SACRARUM
HEROIS MAXIMI;

GLORIOSISSIMUS ARCHIEPISCOPUS ELECTOR
JOHANNES GEORGIVS SECVNDVS
IN BECCIS HABUIT VICE,

QUEM CONCIATIONATOREM ANTE SUAS SURRENDER
ESSE VOLUIT, CONFESSIONIBUS SUIS ADHIBUIT,
CONSTITUTIS ECCLESIASTICIS ADSCRIBIT, ET DENIQUE
AD AETERNAM SACRAM DIXIT PARTICIPARE.

ORATIONE PUBLICA
IN THEOLOGORVM AUDITORIO
SOLENNITER CELEBRATA
JO. FRIDERICVS SCHAEFFNER, D.

AD QUORVM MOMENTVM TERRITVS AD 270.
TALIA CVM VIDRAM SIDERA POSSE CAERE.

WITTEBERGA
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOG.
M. D. C. C. C. LXXXII.

THEOLOGORUM ORBIS ORTHODOXI PRINCIPIS,

MARTINI GEIERI

relictæ Viduæ mœstissimæ,

CHRISTINÆ ELISABETHÆ CARPZOVIAE,

*Matronæ clarissimæ omniumq; Virtutum decoribus
maximè conspicuæ:*

Hujusq; Fratribus Germanis,

Viris undiq; Magnis,

DOMINIS

SAMUELI BENEDICTO CARPZOVIO,

Doctori Theologo longè celeberrimo,


*Sereniss. ac Potentiss. ELECT. SAXON. à Consiliis Ecclesiasticis,
Supremi Synedrîi Assessori, Ecclesiæ Metropolitanae Dresdensis
Pastori, ejusdemq; ac vicinarum Superintendententi venerando,*

JOHANNI BENEDICTO CARPZOVIO,

*SS. Theol. Doctori & Professore Publico in Lipsiensem Academia
famigeratissimo, &c.*

AUGUSTO BENEDICTO CARPZOVIO,

*J. U. Doctori & Professore Publico Ordinario. Facultatisq; Ju-
ridicæ Lipsiensis Assessori gravissimo, &c.*



FRI-

FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO,

*Polyhistori clarissimo, & Senatori Lipsiensium
cordatissimo, &c.*

nec non Liberis carissimis,

**CATHARINÆ ELISABETHÆ GEIERIÆ,
JOHANNÆ CHRISTINÆ GEIERIÆ,**

Fœminis nobilissimis ac laudem supergressis,

*D. JO. GEORGII BÖRNERI, & D. JO. ÆGIDII ALEMANNI,
Uxoribus Dresdensium Conjugibus honoratissimis,*

JOHANNI CHRISTIANO GEIERO,

Virtutum Paternarum Æmulo,

atq; Universe adeo

**GEIERO-CARPZOVIORUM
INCLYTISSIMÆ FAMILIÆ**

Orationem hanc jure meritoq;

offert

JOHANN-FRIDERICUS SCHARFIUS, D.



**RECTOR MAGNIFICE,
ILLUSTRIS AC GENEROSISSIME
BARO,
PATRES ACADEMIÆ
CONSCRIPTI,**

Maximè reverendâ dignitate, auctoritate magnificâ, consiliis respondendiqve de jure solertiâ, experientiâ medicâ, & eccellente doctrinâ ac meritis venerabiles:

Vosqve ceterior dinum omnium ac dignitatum Auditores nobilissimi, amplissimi, reverendi, prudentissimi, clarissimiqve; Et tu inprimis, quam astantem circum & assidentem conspicio, Juventutis Academicæ frequentissima eruditissimaqve
Concio:

A

Alter



Alter jam elapsus est
 annus, ex quo Princeps Theolo-
 gorum, MARTINUS GEIERUS,
 diem suum obiit. Quod fatum
 ut triste ac luctuosum erat; sic de
 laudibus tanti Viri nulla unquam
 conticescet ætas. Ecquis enim
 peracerbum animo non caperet dolorem, si fulgidis-
 simum hoc seculi lumen extinctum recordaretur?
 Nam sacræ literæ ingens ornamentum, Electoralis Au-
 la splendidissimum decus, universæque Christi Ecclesia
 sanctum Theandrum in eo desiderat amissum; utpote
 qui & inusitata eruditionis & excellentis ingenii, co-
 piâ omnes in admirationem sui traxerat. Egregiis
 olim dotibus floruisse Patres relatam legimus in hi-
 storia Ecclesiastica; nec iisdem inferior erat GEIE-
 RUS. Hic enim Epiphanium, ob quinque lingvarum
 peritiam *πεντάγλωτον* ab Hieronymo nuncupatum,
 referebat. Hunc alterum dixeris Chrysostrum;
 qui sanctitatem vitæ cum incredibile facultate dicen-
 di conjunctam habebat. Huic vix superesse parem,
 quem



quem vel cum Basilio, vel cum Augustino propter
subtilitatem, piamque ac mitem suaviloquentiam,
comparare posses, non sine gemitu contentur Aca-
demiarum Collegia. Nec minorem Hilario, qui ori-
entalium decreta Synodorum posteritati reliquit, sibi
cum hoc ipso ereptum fuisse sanctior contristatur Se-
natus. Eo denique loco ipsum semper habuit Sere-
nissimus Elector Saxonicus, quod Episcopum Ambro-
sium habuisse fertur sacratissimus Imperator Theodo-
sius. Tot insignia literarum decora in uno hoc tam
venerando Capite amisimus! Tanta (eheu!) lugen-
di suppeditatur nobis materia! Neque enim Misnia
solum cum Saxonia nostra, sed omnis quoque Ger-
mania summum hunc ac meritis maximis illustrem
Heroem, expletam mortalitate sua hinc abiisse, luget;
eoque magis luget, quod perturbatio rerum omnium sta-
tus fieri consuevit. Ah quot & quanta, nisi Deus clemen-
tissime avertat, Orbi Europaeo impendere videntur ma-
la! Quamobrem de ejusmodi calamitate doleamus ne-
cesse est; praesertim quum tam indefesso ac constantis-
simo pro communis Patriae salute apud DEUM ter-
Optimum Maximum intercessore in posterum sit no-
bis carendum. Bonum signum in domo perhibetur

A 2

Senex



Senex (*), in quo & pietas inest & rectrix actionum, prudentia. Quid Geierianâ canitie venerabilius? quid ejusdem judicio in decidendis controversiis accurati-
 us? Ex quo factum, ut maximum sui reliquerit desi-
 derium. Id quod vel ipse Illustris & Generosissimus Liber Baro, Dominus JOANNES GEORGIUS à GERSDORF, Patronus noster singularis, præsen-
 tiâ suâ splendidissimâ contestatum fecit; nec minus reliquum frequens Auditorium satis superq; ostendit, quantis meritis valuerit GEIERUS. Cujus in valetudo ut celeberrimas hæc Athenas reddebat attonitas; ita, simul ac de morte ejus compertum erat, mœror hîc passim audiebatur. Ego sanè auditô hîc consternatus in squalore ac luctu sedere cœpi. Talem quippe desidero Virum, quem Parentis loco & colere & observare habebam. Ah! miserum verbum est habuisse, nec amplius habere. Quamobrem, quò mœrentis in beatissimè Defunctum pietas testator foret, supremum à me officium ex hac, quam conscendi, Cathedra Lutheri jamjam præstandum judicavi. Dudum quidem illud exhibere debui GEIERO meo; sed dolor stilum
 lin-

(*) juxta vetustissimi Ebraorum Ben Syra proverbium:

סבא בביתא סימנא טבא בביתא:



lingvamq̄ve hactenus cohibuit, nec tanto calu digna
qvædam reperire potui verba; adeoque alios, qui ad
deprædicandas Ejusdem laudes parem Orationis lau-
dem ornatumq̄ve adferrent, audire malui, qvàm stilo
minus commodo uti. Qvùm verò præ luctûs gravita-
te, vel propter publicarum occupationum multitudi-
nem, alios, qvi GEIERUM quoque amarunt, lingvam
continere & vulnus suum adhuc premere, animadver-
terem, hoc qvicquid ultimi honoris est, diutiùs differ-
re nullâ ratione potui. Sanctorum enim Virorum
recordationem negligere velle, religioni profectò fo-
ret. Nec quisquam mihi facilè vertet vitio, aut osten-
tationi, si Majorum institerim vestigiis, & hoc in primis
tempore, cùm modò in Fastis Martini Lutheri memo-
riam recolimus, ejusdem Nominis Theologi meri-
tissimò suò meminerim. Nam occasionem inde ar-
ripui, ut debitum cultum & observantiam meam in
TERTIUM MARTINUM, Luthero Chemnitioq̄ve
planè similem, contestatam redderem. Sed quid dolo-
re propemodum confectus agam? Exsequar tamen,
quas suscepi partes, qvamvis genere scripturæ levi, &
non satis digno Summi Theologi personâ. Quantum
itaque per tenuitatem meam licet, de MARTINO
A 3 GEIE



GEIERO, divinæ veritatis assertore ac propugnatore
 perquam strenuo, pauca Vobis, **AUDITORES** omni-
 um ordinum honoratissimi, impræsentiarum expo-
 nam. Nihil quidem in recensendis demortui laudibus
 prætermitti oportet; sed veniam tamen mihi dabunt
 beatissimi manes Geieriani, si plurima virtutum en-
 comia, eademque justissima ac verissima tacitus præ-
 teriero, quum ingenuè fatear, me nec reliquis decen-
 ti ratione exponendis parem esse futurum. Interim,
 tamen animus redditur, si recordor, quanta in tanto
 Theologo extiterit ingenii moderatio, licet excellen-
 tissimis dotibus, rarissimâque prudentiâ ipse floureret,
 Faciet proinde sanctissimi Nathanis memoria, ut, qui
 æquum animum omnes ad audiendum attulistis, at-
 tentas porrò aures Clienti devotionis convicto præ-
 beatis. Dabitis ergò mihi hoc, quod vestra mihi pol-
 licetur benevolentia. Tantum abest, ut oratio mea
 nimium forsan extra oleas, quod dicitur, divagetur, ut
 potius pictorum parvâ tabulâ universum orbem in ma-
 num tradentium æmuletur solertiam, in illis, quæ sibi
 proferenda statuit, summa rerum fastigia saltem se-
 quatur. Vos modò, quod etiam atque etiam rogo,
FAVETE!

Non



Non exiguum profectò fortunæ munus habitum est,
maximiq̄ve à multis æstimatum, si quis Patriam nactus
fuerit nulli celebritate inferiorem. Sic Platonem vel
ideò Naturæ se primùm gratias egisse accepimus,
quod & Græcus natus sit & Atheniensis. Sic Atticum
suum, eumq̄ve ab origine ultimæ stirpis Romanæ ge-
neratum Cornelius Nepos fortunatum duxit, quòd in
ea urbe potissimùm sit natus, in qua Orbis terrarum
esset imperium. Qvem, quæso, Lipsia, florentissimum
totius Misniæ Emporium, latet? Mercatura eq̄videm u-
ti maximum Reipublicæ adjumentum adfert; sic mul-
tò majus conciliat ornamentum, si optimarum Arti-
um cultura simul exerceatur. Quò utroq̄ve nomine
nulli Urbium facilè cedit Philyréa, cui natales beatis-
simus debet GEIERUS. Patriam hic communem ha-
buit cum Summis Seculi Viris, in quibus præcipuè
veneror, veneraturus quoad vixero, Ordinarium no-
strum Magnificum, Dn. D. CASPAREM ZIEGLE-
RUM, Jctorum Papinianum, rei q̄ve literariæ lumen
incomparabile, ac Dn. D. CASPAREM LYSERUM,
Consulem gravissimum, de q̄ve JPrudentia Romano-
Saxonica per multos annos benè meritum; & quem
primo nominare loco debebam, Theologum omni
lande



laude & admiratione majorem, Dn. D. SAMUELEM
 BENEDICTUM CARPZOVIUM, Professore[m] quon-
 dam Publicum in celeberrima hac Leucoréa celeberrimum,
 nunc Dresdensium Episcopum eminentissimum:
 Quorum tanta in Wittebergam nostram extant
 merita, ut, si ea vellem enumerare, dies me citius, quam
 dicendi materia deficeret. Sed revertor ad Beatum,
 qui natus est Anno cl^o lbc XIV, IIX. Kal. Maji, ex
 Parentibus honestissimis, Patre quidem Martino Gei-
 ero, optimo Lipsiensi Cive, integerrimoque Mercatore;
 Matre Sabina Fleischera, femina sexus sui virtutibus
 ornatisima. Quemadmodum autem bene nasci pri-
 ma omnium felicitatis humanæ pars existimatur; sic
 probæ educationis ratio non potest non absolvere al-
 teram. De qua, quum sibi etiam gratulari haberet
 GEIERUS; divino factum est beneficio, ut elegantissi-
 mæ suæ indolis non contemnenda in singulos dies e-
 deret specimina. Utebatur enim Præceptoribus mul-
 to fidelissimis, quos nunquam non summis ad cælum
 efferebat laudibus. Cum primis verò in Schola Nico-
 laitana Clarissimorum Magistrorum, FRIDERICI,
 LEBZELTERI, SCHECHERI gratâ mente prædica-
 vit operas publicas, & privatas ZACHARIÆ CRA-
 MERI.

obit



MERI. Torgaviam indè profectus optimum invenit Epicharmum JOACHIMUM MEISNERUM, Polyhistorum eâ ætate famigeratissimum, cui se plurimum debere profitebatur. Fundamentò itaqve humaniorum literarum feliciter jactò, ipsius modò laudati Rectoris suasu patrias revisit Musas, studiisqve Academicis vacare cœpit. Ut autem ad bonorum se componebat, nutum, eosqve in oculis ferebat; ita pessimos quosqve homines, qui turpe otium sectari, ab dominiqve inservire, & voluptatibus indulgere non dubitabant, quàm prudentissimè averfabatur. Nôrat quipè ac pernorât, quàm damnosa foret temporis jactura. Nullus itaqve præterlabebatur dies, quò non & doctior fiebat & melior. Nam timore Domini, quod certissimum sapientiæ fundamentum est atqve initium, nihil prius unquam potiusqve habebat. Quò factò tanta in literis fecit spatia, ut celeriter aliis antecelleret. Arduum enim solidæ Virtutis iter, quod Cebes Thebanus, sapientissimi Socratis Auditor, singulari opere in tabula depictum reliquit, ingressus, ad honoris templum adspirare cœpit. Nec passus est, se teneri simulatâ sapientiâ, quâ plures decepti umbram pro Juvone amplexari consueverunt. Quum verò Sacro-

B

san-



sanctæ Theologiæ studio duceretur; operæ pretium ra-
 tus est, si adminiculis ad illud feliciter consequendum
 necessariis uteretur. Animum igitur ad Philologos
 Philosophosque in tempore adjungebat, consulebat-
 que inde rationibus suis quàm optimè. Sicuti enim
 Astronomus sine exquisita Arithmetices atque Geo-
 metriæ notitia frustra est; sic Theologiæ Cultor nec
 Philosophiâ nec Philologiâ carere potest. Utrique
 proinde ita vacabat GEIERUS, ut insignis ad posteri-
 tatem redundârit fructus. Ecquid enim monumen-
 tis tanti Viri elaboratius? ecquid lucubrationibus hu-
 jusmodi utilius? Quod si enim juvenus, in spem Pa-
 triæ nata, ex ipsis fontibus puritatem doctrinæ hauri-
 endi desiderio tenetur, ex variis ejusdem scriptis vo-
 ti non poterit non fieri particeps. At verò nihil ad-
 huc de honorum gradibus commemoratum est, Quod
 itaque ad Magisterialem dignitatem attinet, illam in
 Academia Patria anno ætatis XXI, maxima cum lau-
 de consecutus est, primumque inter XX, Philosophiæ
 Baccalaureos obtinuit locum. Nec postea clarissimum
 hoc nomen sine omine exciit. Nam, quum Scholas
 non unius generis per quadriennium ferè aperuisset,
 vel exercitatissimo Cratippo palmam præripuisse vi-
 deba-



debatur. Quantâ felicitate facem in Rhetoricis præluxit! quantâ in Dialecticis, quanta in Metaphysicis ulus est dexteritate! quantâ denique Lingvas imprimis Orientales Auditorum frequentiam, quæ studium excitabat, docuit animi alacritate! Non calcari opus erat suâ sponte currenti. Nam illud Cæsaris: *Plus ultra!* igneam ejus indolem magis magisque ad majora capeffenda inflammabat. Quamobrem ad Theologicam Sapientiam aliquantò intentiori curâ se contulit; utpote quam præter ceteras Scientias deperibat impensius. Quæsiuit hâc mente optimos quosque Gamalieles, ad quorum pedes ex animi sententia sederet. Invenit eosdem non hîc solùm Witebergæ, sed & in aliis celeberrimis orbis Europæi Universitatibus. In Patria quidem cum primis audivit D. HENRICUM HÖPFNERUM, è cujus Schola, velut ex eqvo Trojano prodierunt plerique omnes, qui in militia Domini post ejus tempora fortiter rem gesserunt (*) Deinde Argentorati D. JO. SCHMIDIUM, & D. JO. CONR. DANNHAWERUM, Theologos verè magnos

*) Vide Magnifici ac Summè Reverendi Dn. D. Samuel. Ben. Carpzovii, elegantem Orationem, memoria D. Job. Mülleri solenniter dictam Witebergæ anno 1673. lit. C. 4.



gnos ac famâ super æthera notissimos; hîc autē D. PAULUM RÖBERUM, D. WILHELMUM LEISERUM, D. JO. HÄLSEMANNUM, MARTINUM TROSTIUM & JACOBUM WELLERUM, quibus ut clarissimis eruditionis sacræ luminibus incluta hæc Academia tunc temporis reddebatur multò illustrior. Quamquam etiam statuerat, se Argentoratô patris voluntate profectionem in Galliam omnem, Italiam, Bataviamqve & Angliam suscepturum; inopinatus tamen ejusdem ex hac vita discessus institutum hoc laude dignum sufflaminabat. Quamobrem & sententiam mutare, & Patriam repetere coactus est. Sed ne periculum esset in mora, laudatissimus modò Theologus, D. JO. SCHMIDIUS, literas ad D. POLYCARPUM LEISERUM t. t. Lipsiensium Superintendentem optimè meritum, ipsius nomine dedit, rogavitqve obnixè, ut res Geierianas quàm diligentissimè curaret. Scriptum, factum. Interea GEIERO nostro cum difficultate itinerum conflictandum erat; quòd tota Germania funesto prorsus bello temporibus istis flagrabat. Navem igitur Argentinae conscendens Wormatiam primò, deinde Moguntinum, inde Francofurtum ad Moenum petiit. Hinc Jenam demigrabat, ubi per ali-



aliquot hebdomades, viâ omni¹ interclusâ, commora-
tus est. Non enim Lipsia solùm tum à WALLEN-
STEINIO oppugnabatur, tum expugnabatur; verùm
etiam gravissimum illud prope Lützenam prælium, in
quo Potentissimus Svecorum Rex, GUSTAVUS A-
DOLPHUS, gloriosissimæ memoriæ, vitam finierat,
acerrimè committebatur. Sed ne diutius quidem
Ienæ ob Cæsareum militem in tuto esse posse vide-
batur; idcirco media inter arma incolumis sancto-
rum comitatu Angelorum stipatus Lipsiam pervenit.
Rebus suis tempestate illâ constitutis variam iterum
fortunam expertus est. Namque denuò, ut imminen-
tem Patriæ obsidionem evaderet, Athenas nostras ac-
cessit, atque hîc per quadriennium ferè à Summis Vi-
ris benignè habitus tantisper vixit, dum ob contagi-
onis domesticæ metum mutare cogeretur. Reversus
itaque in Patriam ab ore nunquam satis laudati, nec
unquam satis laudandi, D. HENR. HOEPNERI pe-
pendit, utpote ab hoc non secus ac filius diligebatur.
Factum postea est, ut annos XXV. natus unanimi Pa-
trum Academicorum suffragio à Divo EL. PR. JO-
HANNE GEORGIO PRIMO, sanctissimæ memo-
riæ, Publicus Ebrææ Lingvæ Professor confirmaretur.

xub

B3

Non



Non enim nomine tantum, sed omine potius talem se gessit, qualem decet. Unde τὸ στοιχεῖν τῷ κανόνι, h. e. juxta lineam atque regulam incedere, & ad propositam, quamdiu vixit, metam ita contendere, sollicitè observavit. Nec parùm profuit Gelliani Collegii institutio; cujus fundamentum ipse cum Doctõribus in æterna vita triumphantibus, JO. BENEDICTO CARPZOVIO, & ABRAHAM TELLERO, quàm prudentissimè jecit. Quantam inde perceperit utilitatem, dici non potest. Aperuit enim Scholas non minus Lingvarum Orientalium, quàm Theosophiæ Cultoribus maximè necessarias. Quùm itaque hoc patet magis magisque inclaresceret, & Superiorum suastu primum in Theologia gradum capefferet, non defuere alii tum Lipsiæ, tum alibi locorum honores. Vicit tamen amor Patriæ; præsertim quùm res suas singulari Numinis divini arbitrio geri animadverteret. Sacris proindè Ecclesiastici muneris initiatus Spartam utramque ita ornavit, ut non magis dignitatem Professoris, quàm Ecclesiastæ sanctitatem cohonestaret. Quotiescunque enim officii ratio efflagitabat, ad obsequandas partes tantâ procedebat alacritate, ut studio suo audientium studia inflammaret. Hic enim optimus
dux



dux optimos reddebat comites. Quorum ut magna confluebat frequentia; sic eum sacra enucleantem Oracula quàm studiosissimè attendebat. Persuasissimum enim sibi quisque habebat, se ex amplissimo hoc Vi- ro, tanquam ex altero quodam eruditionis ac virtutis omnis Oceano haurire posse, quicquid ad felicitatis metam feliciter contingendam facere videbatur. Nec vanâ spe lactabatur Auditorium; utpote quod nunquam poterat tantum ei referre gratiarum, quin excellentissima ejus merita superârint. Namque GEIERUS noster omne studium atque omne ingenium eò conferebat, ut audientibus de salute quàm optimè prospiceret. Dignissimus itaque omnium suffragiis censebatur, cui majora dignitatis ornamenta decernerentur. Cum equidem tanta in eo animi inesset moderatio, ut humiliori sorte contentus vivere, quàm superiorem adfectare mallet; tamen vel ipsum fugientem gloria insequeretur. Proximò itaque à summo Theologiæ gradu, quem Licentiam vocant, assumptò, divinis factum est auspiciis, ut muniis multò gravioribus utrinque præficeretur. Professionem quippè Ebraeam, cui per octodecim annos & summa cum laude & utilitate præfuerat, cum Theologica permu-
tandi



tandi ratio injungebatur. Per multa hinc dicenda forent; quæ tamen pace vestra, AUDITORES omnium ordinum ac dignitatum honoratissimi lectissimique, quasi in nuce constricta proponam. Quis enim collatam Doctori epomidem? Quis & Pastori & Episcopo delatam provinciam? Quis falces Academicos & sulceptos felicissimè & mutatos tacitus præteriret? Omnia quippe hæc summa sunt, & non nisi summo ingenio digna. Quamobrem Divus Saxoniae Elector JOHANNES GEORGIUS SECUNDUS, Princeps, cum viveret, supremæ pietatis, tantâ celebritate famæ permotus B. D. JACOBI WELLERI Successorem desideravit D. MARTINUM GEIERUM, A. cl. l. c. Lxv. m. Jan. Quod si quis has ipsas tantum partes dixerit, satis encomii dictum putâssem. Cum Diis enim conversari posse humanam quodammodo conditionem excedere videtur. Tantus verò in laude vera erat splendor, ut tam excellenti bono frui inclyta Electoralis Aula sibi congratularetur. Quoties illuxit dies ad audiendum aureum os Dresdensium Chrystomi, maximâ frequentia homines undique signo dato concurrentes videre pulchrû profectò & jucundum fuit. Sacram pergulam quando conscendit GEIERUS,

ora,



ora omnium in se convertit, quotquot adfuerunt, animum oculosque intentos habuerunt, erectis auribus steterunt omnes & cum maximo desiderio auscultarunt. Ipse quotiescunque ad populum verba fecit, humanæ salutis mysteria more suo, hoc est, suavissime exposuit, deque sectandis Christiano dignis virtutibus, & fugiendis vitiis, oratione verè flexanimâ, nec sine quâdam indignatione, gravissime egit. Quantum sibi vendicavit gaudium, quando ad saniora redire homines animadvertit. Non è plebe tantum, sed eximios quoque & gravitate insignes viros & summo genere natos, divini alios verbi leni quidem illo, penetrante tamen & potentissimo spiritu, ab interitu retraxit, alios emendavit atque ad meliora traduxit GEIERUS. Qui & Hieronymo credidit, docendi auctoritatem omnem perdere, cuius sermo opere destituitur. Quin imò validiora exempla, quàm verba; & plenius esse opere, quàm verbo docere, cum Leone magno fassus est. Nihil enim, vel parum admodum prodest, in dicendo exercitatum esse, & ad loquendum trivisse linguam, nisi exemplo tuo plus, quàm verbo docueris. Hinc ille, quò exemplo suo omnes ad similitudinem efficacius impelleret, vitam doctrinæ suæ consentaneam gerere,

C

rere,



rere, perq̄ve omnia bonorum operum exemplum se
 præbere; nec CHRISTI tantum minister, sed & imitator
 esse, quantum per humanam infirmitatem fieri potest,
 maxima cum industria laboravit. Quâ igitur vitæ sancti-
 moniâ, quâ dexteritate & quâ laude officiis suis functus
 fuerit, satis jam explicari nequit. GEIERUS
 certè, ut sibi pariter ac conscientiæ suæ consulere,
 officiisque tam sanctis, tamq̄ve arduis satisfaceret, sum-
 mâ semper ope ac insomni cura adnissus est. Et quem
 admodum verissimè dici consuevit: Magistratus argu-
 it Virum; ita GEIERUS in administranda officiorum
 ratione nec promptissimo cuique cedebat. Quod si
 gubernator præcipuâ laude fertur, qui navem pericu-
 losissimis fluctibus ferè oppressam servat; cur non sin-
 gularis ejus existimetur prudentia, qui Adversariorum
 procellis Ecclesiam veram infestantibus, divinâ adju-
 tus ope, resistit? Talis erat Saxonicus ille Nathan,
 qui eâ ingenii judiciiq̄ve bonitate pollebat, ut non
 minus celeriter, quæ opus erant, reperiret, quàm sen-
 tentiam in Senatu Ecclesiastico Supremo de rebus ma-
 ximè arduis ferret, Religionemq̄ve sanctam tectam pro-
 pagaret. Quò faciebat solennis Ecclesiarum Schola-
 rumq̄ve Visitatio, quam autoritate PATRIS PATRIÆ,
 unâ

unà cum illustrissimo Domino, DN. CAROLO L. B à
FRIESEN, Domino nostro gratiosissimo, hîc etiam lo-
ci instituebat GEIERUS. Nec minori curâ vigilan-
tiâque illa à Theologis nostris Juriumque Consultis-
simis Viris in Electorali hoc Circulo continuata fuit
atque ad finem perducta. Quot aurea prostant & pie-
tatis & sedulitatis Geierianæ monumenta! Volve, ama-
bo, revolve Commentarios in Psalmos, in Danielelem, in
Proverbia Salomonis, in Ecclesiasten; & Theandrum ex
unico dicto, tanquam ex ungue Leonem cognosces.
Mitto alia, eaque quàm plurima. Mitto supplicatio-
nes publicas, quæ à Pientissimo Principum, consiliò
GEIERI, fuere indictæ. Quid de ceteris dicam Vir-
tutibus? Comitatus ejus non sine severitate erat, neque
gravitas sine facilitate, ut difficile esset judicatu, utrum
magis eum vererentur clientes, quàm admirarentur.
Nec sumtuosus in victu erat & amictû. Nam quum
Gregis exemplar esse deberet, & temperantiâ & cultu
decorò præluxit. Innocentiam igitur vitæ præ se fe-
rebat, atque seculi hujus mores, eosque corruptissi-
mos, oderat. Eò enim nequitiæ processerunt plero-
rumque animi, ut vel omnem ejurando pietatem Po-
ëtæ illud, quod de corruptis seculi sui moribus olim



cecinerat, instar Symboli repetant:

Ætas Parentum peior avis, tulit

Nos neqviores, mox datuos

Progeniem vitiosiore.

Periit enimverò maximam partem antiqva Germano-
rum fides; præsertim quùm multi (proh dolor!) eâ
levitate sint, ut nullâ re magis, quàm fraude atque
mendaciis delectentur. Quin imò si alter alterum
argutè frustratur, à multis hodiè non probro, sed lau-
di potius ducitur. Egregii sanè, si Diis placet, homi-
num mores! Sed ab ejusmodi vitiorum generibus
totus abhorrebat GEIERUS, qui nec prece, nec
pretio ullo corrumpi poterat. Nulli fides ejus, nulli
opera, nulli promovendi studium defuit. Sic se geren-
do minimè est mirandum, ipsum & benedictione di-
vinâ fuisse auctum & humanâ felicitate ornatum. Cuius
non minima pars est, si cui fortunatum obtigerit
matrimonium. De quo quùm gratulari sibi haberet
GEIERUS, Deo immortalis immortales agebat grati-
as. Prima ergò, eademqve fidissima vitæ Socia fuit
Margaretha Schüreria, non in celebri loco nata, cujus
virtutes ferè per decennium ita probabantur, ut Mar-
garetha ista quibusvis Margaritis longè pretiosior æ-
stima-



stimaretur. Hâc verò & beatè defunctâ & solenniter elatâ non dissimilis ex divina gubernatione collocabatur; adeoqve secunda Vota verè existebant secunda. Namqve domum auspicatò duxit Nobilissimam omniumqve Virtutum decoribus maximè conspicuam Virginem, CHRISTINAM ELISABETHAM CARPZOVIAM, eamqve unicam Filiam Summi Viri & Theologi, deqve Studiosâ Juventute & universâ Christi Ecclesiâ immortaliter meriti, D. JO. BENEDICTI CARPZOVII, Professoris quondam Publ. famigeratissimi, Consistorii Electoralis ac Ducalis Saxonici, quod Lipsiæ est, Assessoris, nec non Canonici Cizensis, & ad D. Thomæ Symmystæ incomparabilis; cujus sincerum affectum, quem erga Parentem meum à studiorum Academicorum primordiis constanter ad extremum usque spiritum continuavit, cum laude ac bonis recordationibus prosequor, prolecuturus, donec Dei beneficio vivam. Thalamus enim ut benedictus erat; ita factus est & optimus optimæ Proles Pater & Avus, quum maximæ spei Nepotem ex CATHARINA ELISABETHA, Nobilissimi Jcti, D. JO. GEORGII BÖRNERI Conjuge, susceperit. Poterat itaqve trium svavissimorum thori Pignorum à Deo in priori Conjugio & da-



torum & ablatorum jacturam æqviori animo ferre, quod alia ex Clarissima Fœminarum CARPZOVIA nata conspicaretur. Nec tantæ vires dicendi suppetunt, quibus ardentissimum in castissimam suam uxorem edisseram amorem. Quàm tenerrimè complectebatur liberos! In id enim præsertim incumbibat, ut ne aliis potius, quàm suis ipsius, cujus & sanguinem ferrent, moribus noscerentur! Nec paternum ejus, quò me prosecutus est, unquam obliviscar adfectum. Literas vel ipsò mihi aurò cariores, documenti locò producere habeo. Quare, quum aliò modò pietatem meam contestari non licuerit, has ipsi lacrymas volui consecratas. Salve verò, Anima sanctissima, salve & æternùm in JESU tuo triumphā! in quo nimirùm & vivere dulce erat & mori. Testes laudare possum libros posteritati relictos, eosque in JESUM amoris plenissimos. Quem latent sanctissimi illi de Tempore atque Æternitate sermones olim ab ipso tum Lipsiensium Superintendente ex suggestu habiti, jurisque publici postea facti, ac sæpenuerò recusati? Non possum verò prætermittere, quin hîc summi adfectûs tessera à beatissimo Viro in Album relatæ mentionem faciam; quæ hoc disticho memorabili est concepta.

Duc



*Duc me, nec sine Te sine me, DEUS optime, duci;
Nam duce me pereo, Te Duce salvus ero!*

Cujus voti suspiriiq̄ve Dominica XIV. post Trinitatis
Freibergæ Hermundurorum à V. matutina particeps
factus animam Servatori suo commendatam reddi-
dit, anno clō lōc LXXX. m. Septembr. ad d. XII. Nec ma-
gis in optatis erat, quàm ut Clementissimi sui Domini,
quem ipsis oculis chariorem habebat, beatissimam
ἀνάλυσιν ipse ex hac caduca vita sequeretur. Atq̄ve
hoc, quod desiderabat, brevi tempore factum inau-
divimus. Decessit igitur MARTINUS GEIERUS,
decessit, proh dolor! maximumq̄ve sui reliquit orbi
Christiano desiderium. Jacet enim rei literariæ glo-
ria! silet flexanima illa tot utilissimorum dogmatum
interpres lingua! Cecidit Ecclesiarum nostrarum Co-
rona! O nos infelices, qui tot malorum quasi cate-
nis impliciti GEIERUM non videbimus amplius, nisi
& nos ipsi exacto mortalitatis spatio cum Eodem si-
mul & ipsa æternitate jungamur. Nostrum in-
tereà temporis est, publicâ hac voce divinam implo-
rare opem, ut gravissimo vulnere, quod afflictissima
Ecclesia accepit, DEI omnipotentis dextra medeatur!
Conservet itaq̄ve benignissimum Numen superstites
adhuc,



adhuc, eosque celeberrimos seculi hujus Doctores!
 Succesorem inprimis B. GEIERI longè dignissimum,
 D. JO. ANDR. LUCIUM, & D. SAM. BENEDICTUM
 CARPZOVIUM, Ecclesiæ Dresdensis ac Vicinarum An-
 tistitem vigilantissimum! Cujus & amplissimæ Familiæ
 memoriam ut sanctissimè colui; ita, dum lucis hujus
 usurâ fruar, & colere & pro Ejusdem incolumitate ad
 DEUM OPT. MAX. preces effundere non defetiscar.
 Quò etiam venerationis cultu Vos, florentissimæ hujus
 Academiæ Statores, jure meritoque prosequar! In qui-
 bus Te, Venerande Senex, D. A BRAHAM CALO-
 VI, religiosæ pietatis ergò, nominare non dubito; ut-
 pote qui dignissimus es, ut Aquilæ instar renovato æ-
 tatis vigore ex communi bonorum voto perfruare!
 Vivant & Tecum Generi tui splendidissimi, D. JO-
 HANNES DEUTSCHMANNUS, Theologus cele-
 bris, nostræque Universitatis in præsentî Rector Ma-
 gnificus, & D. WILHELMUS LEISERUS,
 Jctus accuratissimus, Facultatisque suæ hodiè De-
 canus spectabilis; nec minùs Tecum vivat, qui Ti-
 bi tam affinitate quàm Collegiali fide conjunctissi-
 mus est, D. JOHANNES ANDREAS QVEN-
 STEDIUS, Sororius meus ac Compater omni hono-
 ris



ris atq̄ve amoris cultu exosculandus. Vivant & reliqui,
quos contueor, Mæcenates optimi, nec, nisi serissimè,
in cœlum redeant! Qv̄od superest, Vobis, AUDITO-
RES omnium Ordinum ac Dignitatum colen-
dissimi lectissimiq̄vè, pro honorificentissima vestra
præsentiâ maximas ago gratias, majores etiam ha-
beo; relaturus, si pietatis officio id fieri potuerit. Hoc
autem ut memoriæ Geierianæ sacrum est; sic tota
Amplissima Familia affectum hunc maximum maximi
quoque faciet. Ego verò sanctissimè polliceor, ob-
servantiam meam debitam, gratamq̄ve mentem Vo-
bis nunquam esse defuturam. Vivite DEO beni-
gnissimo commendati! Vivite Serenissimo nostro
ELECTORI-PRINCIPI, vivite Patriæ, vivite Musis,
vivite mihi florentes semper, semperq̄ve felices! Quò
votò finiam, omnibus & singulis ultimum illud
benè precantium verbum Geieri nomine
acclamans: VALETE!

D I X I

D

Sup-



Supplendæ chartæ ergò hæc adjicere
visum fuit.

*Salutem ab IMMANUELE omnige-
nam ac perennem!*

Miratus sum non parùm, *VIR Excell.
ac Præclarissime, Amice atq̃ve Fau-
tor plurimùm dilectæ, perspectò & nuperò
& modernò amoris tui in me monumentò.
Vix namq̃ve recordari licet ullius abs me
profecti vel qualiscunq̃ve officii, quò tua
demeruerim. Sed respondebo interim
mihimetipsi; Te non attendere præterita,
verùm futura ex me ita devinctò elicere
velle, quæ tamen ex se debeo cuiq̃ve bono.
Gratum interea me Tibi, ubi ubi indulse-
rit divina gratia, præbebo lubens, pre-
corq̃ vicissim Deum, ut famam Parentis
extendere per ipsius benignitatem queas,
publi-*



publicoq̄ue conferre multa commoda!
Vale in Domino!

T. Cl.

devinctus

VIRO Præclarissimo ac Con-
sultissimo
Dn. JO. FRID. SCHARFIO,
J. U. Doct. nec non Facult.
Philos. Assesf. benè merentissimo,
Amico & Fautori pl. colendo.

Mart. Geier, D.
d. 16. Jan. 1672. Dresda
raptim.

*Salutem in Domino JESU omni-
genam!*

Jucundus omninò, ne quid diffitear, fuit
in conspectus transmissi à TE, EXCELL.
VIR, Amice atq̄ue Fautor plurimum
colende, fasciculi tot egregiarum passim
propugnatarum dissertationum. Miratus
sum laborem tantà magis, quòd apud
Jctos

76 2913

Actos rariùs hoc literarum genus exco-
 li contingat adeò operosè. Gratulor pro-
 inde ex animo de tot trophæis, per tot A-
 cademias hinc inde abs Te erectis, pre-
 corq; Deum, ut tantam industriam nun-
 quam sine insigni fructu jubeat conspici
 in publicò. Si quid per me Eidem Deo
 nostro Opt. Max. placuerit conferri in
 hunc finem, paratum me præbebo cum
 gaudiò. V.

Exc. Tuæ

ad preces off.

Mart. Geier, D.

d. 12. Decembr. A. 1676.

Dresda.

VIRO

Consultissimo ac Præclarissimo

Dn. JO. ERID. SCHARFIO,

U. J. Doctori, nec non Facult.

Philos. Assessori celeberrimo, Fauto-

ri & Amico pl. honorando.



von

115

QV. 243³⁶

MEMOR
REVERENDIS
D. MA
GEI

VIRI PER ORBEM
THEOLOGICI MODIS OMNIBUS
LITERARUMQUE
HEROIS

^{QUE}
GLORIOSISSIMUS ARCHIEPISCOPUS
JOHANNES GEORGIUS

IN DELICIIIS HANNOVERENSIS
^{QUE} VEM CONCIONATOREM
ESSE VOLUIT, CONFESSIO
CONSILIARIIS ECCLESIASTICIS
AD AETERNAM SECUM

ORATIONE
IN THEOLOGORUM
SOLENNITER
JO. FRIDERICUS

AD QUODVIS MOMENTUM
TALIA, CUM VIDEAM SIBI

WITTEB
EX OFFICINA CHRISTIANI SCHEITNERI
A. E. C. 1700



3

831

120.

